

rum, quod cum in hoc seculo parulis communi-
cetur, nil amplius in entitate, ac substantia res-
tat, quod triumphatoribus post bella, ac certa-
mina conferatur. Eodem lacte, ac pabulo, quo
paruuli in entitate hic pascuntur, iusti in terra pro-
missionis saginantur, diuerso tamen modo, nam hi
visione fruuntur, illi verò spirituali refectione
congaudent. Vide multa tom. 3. in Indice. Verb.
Effectus Eucharistia.

QVÆSTIO IV.

Quare cœna ab homine facta dicitur hic
magna; non verò quando iterum se-
cundo loco commemoratur?

21. **Hugo.** Cœna hæc, vt in præfenti ait Hugo Cardina-
lis, dicitur magna propter quatuor. Primo,
quia Dominus magnus, scilicet Christus. Secundo,
quia conuiuie magni, scilicet omnes fideles, qui digna
accipiunt. Tertio, quia ferula apposta sunt magna,
scilicet corpus, & sanguis ipsius Domini. Quarto,
quia seruitores magni, scilicet Angeli, qui credun-
tur assistere, & seruire sacerdoti, & omnibus con-
uiuantiibus in hac mensa. De quibus satis late agunt
Expositores communiter; & nos egimus 3. tom.
cap. 35.

22. **Difficultas
questionis.** Nunc verò inquirimus, quod cum in hoc
Euangelio dupliciter fiat mentio de hac cœna; in
primo loco dicitur magna, non verò in secundo.
Homo quidam fecit cœnam magnam. Ecce magna
nuncupatur. Postea verò infra num. 24. Paterfa-
milias loquens introducit; ait: Nemo virorum
illorum gustabit cœnam meam. Vbi nomine magni
præferti solùm cœna commemoratur.

23. **Ne quis suas
laudes dicat,
sed alius.** Respondet primò. Quod quando Euangelista
vt canonicus Historiator historiam refert, cœnam
magnam scribit. Homo quidam fecit cœnam magnam.
At verò quando ipse Dominus de sua cœna loqui-
tur, non sic de illa agit. Gustabit cœnam meam. Cœ-
nam tantum dicit. Non enim à suo largitore res
exhibita magna appellanda est, sed ab alio sic di-
cenda, & publicanda; non enim, qui donum con-
fert, ipsum extollat, sed ab alio extollatur. Vide
supra cap. 5. q. 16. num. 138. & 139.

24. **Vera magni-
tudo, vt nul-
lus excluda-
tur.** Secundò. Perpende textum. Fecit cœnam mag-
nam, vocauit multos. Postea verò ait: Nemo viro-
rum illorum gustabit cœnam meam. Cum ad illam
multi conuocantur, magna appellatur, non sic
verò quando ab illa aliquis excluditur. Tunc
enim vera magnitudo splendet, cum de eius exu-
berantia multi participant, & nullus vacuum in-
uenitur. Vide in hoc tom. 2. & 3. in Indice, Ver-
bum Communicare.

25. **Homini qua-
libet res ma-
gna, amor
omnia parna-** Tertio. Primo loco dicitur, quod homo para-
uerit cœnam, & tunc magna appellatur. Fecit
cœnam magnam. Secundo verò loco dicitur, quod
Paterfamilias eam præparauerit. Gustabit cœnam
meam. Quando fecit cœnam, tunc magna nun-
cupatur, nam cum homo sit valde angustus, &
limitatus, illius consideratione quælibet res gran-
dis, & magna est. Non sic verò cœna dicitur se-
cundo loco, quia cum se patrem familias multo
amore æstantem declarauit, ac manifestauit;
quamuis cœna esset valde magna, & ampla, ta-
men respectu illius amoris non talis videtur, &
ideo suppressio nomine magni cœna tantum dici-

tur. Ex quo perpende latum discrimen inter ho-
minis limitationem, & amoris magnitudinem.
Homo cum sit valde limitatus, quælibet res illi
grandis; amor verò si grandis, omnia illi parum,
nil magnum apparet.

26. **Iob. 42.** Homo limitatus quælibet res illi grandis. Cum
Domus oculos suæ pietatis in Iob conuerteret,
vt eum restitueret in suam antiquam felicitatem,
ait textus, quod venerunt ad eum omnes fratres,
ac sorores eius, ac amici. Et dederunt ei vniuersis
ouem vnã, & in aurem auream vnã. Iob. 42.
num. 11. Iob homo rex, vt tenet communis sen-
tentia, illius etiam fratres, sorores, ac amici di-
uites, & multum potentes, vt par erat homini-
bus regi coniunctis. Cur ergo tam parcum, ac
miserum donum, ouem vnã, conferunt amico,
ac consanguineo suo extrema necessitate laboran-
ti. Vnde ait Lyranus. Dederunt ouem vnã cum ad-
zenelandum huiusmodi dona parum fecissent. Verum
est, quod illi fratres, & amici Iob diuites, &
potentes extabant, ouisque vna res parua, & exi-
gua, tamen cum essent homines multa limitatio-
ne circumscripti, & vna ouis licet res parua, ab
illis tamen vt grandis, & magna appendebatur.

27. **Exod. 3.** Amori verò nil magnum, omne paruum. Cum
Moyses videret, quod rubus arderet, & non com-
bureretur. Dixit: Vado, & videbo visionem hanc
magnam. Exod. 3. num. 3. Postea verò cum propi-
us accederet visionem non appellat magnam,
nec quando de ea iterum loquitur Deuteron. 33.
num. 16. Cur à loco distanti magna apparet visio,
non sic verò à propinquo? Præcipue, quod cum
Moyses approximaret præfiguratum videt ineffa-
bile Incarnationis mysterium, vt docent Clemens
Alexandrin. lib. 2. Pædagog. cap. 8. D. Hieronymus
serm. de Assumpt. D. Leo serm. 12. de Natiuit. Di-
uus Gregor. lib. 28. Moral. cap. 2. Theodoret. Ru-
pert. & alij. Vel mysterium Crucis Christi ibi
agnouit, vt tradunt Procopius, & alij. Cum tam
sublimia ibi intueatur Verbum Incarnatum, ac
pro salute hominum demortuum, quo nihil sub-
limius à Deo factum est, & tamen visionem non
clamat magnam? Quando Moyses videt visio-
nem à longe, nesciebat quid in illa inuolueretur,
indèque ipsam magnam fatetur; At verò cum ap-
propinquat, altissimi Diuini amoris affectus re-
præsentantur ei, indèque visionem grandem non
dicit, vbi enim amor inest, nil magnum, ac gran-
e censetur.

28. **Amor sum-
ma mirabilia
non magna
reputat.** Omnes quatuor Euangelistæ Christi Passio-
nem referunt. D. Matthæus, D. Marcus, D. Lu-
cas latius; Ioannes verò pressius, cum tamen alij
passionis tempore abessent, & solus Ioannes præ-
sens adesset. Et tamen ipse breuius scribit scere-
tum diuini amoris: in cœna supra pectus Domi-
ni recumbendo præ cæteris altius illud penetrauit
Ioannes; vt docent D. August. tract. 18. in Ioan. &
tract. 124. Origen. homil. 1. in Cant. D. Hieron. in
cap. 18. Ezech. & alij Patres. Cum ergo Ioanni
profundius arcana Diuini amoris essent reuelata
strictè, ac compressè amplissimam tormentorum,
ac dolorum passionis Christi vastitatem commemo-
rat, quam latius cæteri Euangelistæ enarrant,
qui tantum amoris fluunt, sicut ille non pota-
runt; quo enim acutius, ac intimius amor
penetratur, eo breuior, ac strictior res
gesta, licet magna, apparet,
ac videtur.
**

QVÆSTIO V.

Quare cœna Eucharistia magna nuncu-
patur, cum manna illius typus, quid
minutum dicatur?

29. **Exod. 16.
Septuaginta.** **Ratio diffi-
cultatis.** **Lyran.** **Vna ouis ma-
gna homini.** **In fine vite
maiora præ-
stantia.** **Temporalia
quasi nihil,
spiritualia
vt magna
reputanda.** **30. Bæca.** **31.** **32.** **33.** **34.** **35.** **36.**

Quæ manna descenderet de cælo, dicitur de
co. Mane quoque ros iacuit, per circuitum ca-
strorum, cumque operuisset superficiem terra, appa-
ruit in solitudine minutum. Exod. 16. num. 14. Sep-
tuaginta legunt: Ecce super faciem deserti minutum,
tanquam Coriandrum album. Manna vt dicitur.
Num. 11. num. 7. Erat manna quasi semen Coriandry
coloris bdelli. Et tamen manna vt notum est om-
nibus figura extitit sacræ Eucharistia, quæ in hac
magna cœna repræsentatur. In vtraque re cæleste
pabulum adumbratur. Cur in primo minutum
apparebat, in secundo verò cœna magna dicitur?
Respondet primò P. Bæca tom. 2. de Christo
figurato lib. 5. cap. 9. §. 14. Quod manna descende-
bat mane; cœna verò præparatur vespere, ac in
nocte. Per quod denotatur, quod licet parui mo-
menti sint, quæ mane, seu in iuuentute, ac in-
tegra valitudine fiunt, sumuntur tamen quod ad
finem vitæ spectat, magnum necesse est, vt sit;
homini enim in extremis constituto, non pro
minimo, sed magno erit, si emittat ea, quæ suæ
salutis, ac spiritualis refectionis sunt. Secundo
manna quid minutum; mensa hæc verò magna,
quia omnia alia bona si cum Eucharistica mensa
conferantur, quia parum, ac minutum apparent.
Vide quæ dixi tom. 3. cap. 25. quæst. 10. num. 76. de
micis è mensa Domini, quas Chananæa exopta-
bat.

Secundò. Manna quid minutum, mensa verò
hæc magna ostenditur. In primo conuiuio nil spi-
rituale; nil ad æternam vitam conducens confe-
rebatur, sed ad reficiendas vires corporeas daba-
tur, & ideo res parua, & minuta ex aère descen-
dens, & veluti ex aère conflata reputatur. Cum
temporalia omnia tanquam nihil à Deo habeantur.
In secundo verò mensa corporis Christi præ-
ponebatur, vt ex D. Cyrill. retuli. q. 3. In quo est
omnis magnitudo, & à quo omne nostrum ne-
gotium vitæ, ac salutis spiritualis dimanat, & illa
solum vera magnitudo est, in quo non tempora-
lia dona nobis ministrantur, à ratione ergo tem-
poralitatatis, vel spiritualitatis doni magnitudo, vel
paruitas diiudicatur.

Ait Christus Iudæis. Non Moyses dedit vobis
panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de
cælo verum. Panis enim Dei est, qui dat vitam mundo.
Ioan. 6. num. 32. Quomodo ait Christus, quod
Moyses non dederit panem de cælo, cum sæpe
Scriptura testetur, quod dans manna dederit pa-
nem. Paratum panem de cælo præstitisti eis. Sap. 16.
num. 20. Psalm. 77. num. 20. Panem cæli dedit eis.
Quotum ergo affirmat Christus: Non Moyses
dedit vobis panem de cælo. Manna panis erat, quo
corpus alimentabatur, naturalisque vires reficie-
bantur; at verò panis Christi, vt ipse ait, Panis
Dei est, qui dat vitam mundo. Spiritualem, ac æter-
nam; panis ergo qui corporeale tantum alimen-
tum præstat, tanquam non panis, ac pro nihilo
reputatur. Non dedit vobis panem. At verò panis
Christi, quo spiritus perenni vita, ac cælestibus
donis impingatur, panis verus, & solus. D. No-

ster Cyrill. Alexandrin. lib. 3. in Ioan. cap. 36. Non
sentitis, ait, quia breue illud, & parum tam vobis
erat, qui accepistis, quam Deo, qui largitus est?
Nolite igitur credere illum fuisse panem de cælo. Ego
autem sum panis vitæ, non corporalis, qui tamen so-
lum corporea remedium præstat: sed qui totum ani-
mal ad vitam æternam reformem, & morte superius
efficiam. Vide supra cap. 8. num. 139. 140. & 141.

QVÆSTIO VI.

Quare ad hanc cœnam inuitantur viri, cum
ad passionem Christi conuocentur
filia Sion?

Hic homo ad suam cœnam vocauit multos;
nam quamuis familiaritate, ac communi-
catione apud aliquos diminuat veneratio, aug-
etur tamen amor, vt rectè dixit D. Ioannes Dama-
scen. lib. 4. Orthodoxæ fidei contra aliquos, qui di-
cebant, Imagines esse reponendas in loco abscon-
dito, & remoto, ne frequenti aspectu illorum au-
thoritas aliquantulum decresceret; hic autem ho-
mo voluit maximè communicari, quia volebat
maximè ab omnibus diligere, & amari.

Hi autem, qui vocati sunt, propinquiore, ac
maximè coniuncti Deo fuerunt, à quibus in be-
neficiis incipiendum. Perbelle Tertullian. lib. 4.
contra Marc. 31. Vitiq; ait, cœna paratur, vita
æterna saturitatem figurat. Dico primo extraneos, &
nullius iuris affines inuitari ad cœnam non solere, cer-
te facilius solere domesticos, & familiares. Ergo
creatoris est inuitasse, ad quem pertinent, qui inui-
tabuntur; & per Adam, à quo homines, & per Pa-
tres, qua Iudæi. Fit Dei inuitatio imprimis ad
suos, Iudæos nempe, qui vt homines, ac filij
Adam spectabant ad Deum tanquam creaturæ
ad suum creatorem; vt Iudæi similiter ad eundem
spectabant, vt eius consanguinei, peculiari popu-
lus, quorum parentibus promissus, ex eorum
carne natus est. Cum autem cœna præparatur,
propinquit, & affines solent imprimis inuitari,
Deus ergo parans hanc mensam, imprimis Iu-
dæos conuocat, à suis enim in beneficiis inci-
piendum est. Cum autem Iudæi negligeret venire,
postea alios, scilicet gentiles, vocat.

In quæstionem voco. Quod hic Paterfamilias
vocauit ad cœnam multos, viros scilicet, vt pos-
tea ille explicat. Nemo virorum illorum. Vir au-
tem denotat hominem fortem, & animosum. Cum
tamen ad spectaculum passionis Christi intuen-
dum fœminæ inuenerunt. Egredimini, & videte
filia Sion regem vestrum Salomonem. Cantic. 3.
num. 11. Cur ad Eucharisticam mensam (quæ hic
adumbratur, vt sæpe dixi) viri conuocantur, ad
Christum verò spinis coronatum aspiciendum fi-
lia Sion vocatur?

Respondet. Quod ad Christi passionem filia
Sion inuitantur, quæ eius amore illata de tor-
mentis passionis eius maximè coarctantur, do-
leant, ac in lachrymas dissoluantur, ad quas valde
pronæ sunt fœminæ; ad Christi tamen mensam
non vocantur, nisi viri, qui masculino robore, fir-
mæque mente virtutem teneant, ab illaque mini-
mè discedant. In conuiuio illo de quinque panibus,
& duobus piscibus ait Ioan. 6. n. 10. Discubue-
runt viri numero quasi quinq; millia. Certum est,
quod simul aderant cum viris pueri, & fœminæ,
tamen

33.

Damascen.
Familiarita-
te minuitur
auctoritas,
augetur amor.

34.

Tertullian.

In beneficiis
incipiendum
à suis.

35.

Difficultas
questionis.

Cantic. 3.

36.

Ad Eucharis-
tiam non
vocantur, ni-
si qui masculu-
lo sunt robo-
re.

tamen solum viri exprimuntur, praefigurabatur ibi Eucharistica mensa, ad quam nulla foemina, nullus autem imbecillis, ac effeminatus admittitur, sed solum viris fortibus, ac constantibus praepositur. D.Cyrrillus lib. 6. in Ioan. cap. 16. Mulieribus autem, ait, & puer is confuse discumbentibus, de viris solis mentionem facit: anigmatische nomen, omnibus, qui viriliter probitatem, & fidem amplectuntur, non imbecillis, & mollibus calestem a Salvatore cibum praebere. Cuius rei rationem subdit. Nam qui muliebri animo, aut puerili sunt nil magni cogoscere possunt.

Cyrrillus.

37. Psalm. 127.

Isai 60. Desider, ac effeminati repelluntur a mensa.

38.

Leuit. 6.

Fragilis anima excluditur a mensa.

De Christi mensa loquens Regius vates Psalm. 127. num. 4. ait: filij tui, sicut nouelle oliuarum in circuiu mensa tua. Ut recte notat ibi D. Hieron. Non dicuntur filia, sed tantummodo filij. Cum tamen ad Ecclesiam filij, & filia, id est viri, & foemina ad adoranda Christi mysteria, vocentur, vt prophetauit Isaias. 60. n. 4: Filij tui de longe venient, & filia tua de latere surgent. Si ad Ecclesiam filij, & filia conuolant, cur non etiam ad mensam? Ad participationem corporis, & sanguinis non effeminati, ac desides admittuntur, sed cordati, & fortes, qui virtute proficiant, & non ab illa cadant; ad magna enim non vocantur, nisi qui magno, & sublimi animo sunt praediti.

Statutum erat lege, carnes sacrificij, quae pro peccato immolabantur a sacerdote a solis masculis vesci. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius. Leuit. 6. num. 29 Praefigurabatur ibi Eucharistica sacrificium, hoc solum masculis praepositur, nunquid foemina manent exclusae a tanto conuiuio. Rupe rrus lib. 2. in Leuiti. cap. 34. Nemo mollis, ait, & fluxus huiusmodi hostia dignus est esu: omnis quippe masculus de genere sacerdotali, id est omnis fortis, qui viriliter inuitus restitit, vescetur carnibus eius. Per masculum robustus, & fortis animus denotatur, non excluditur sexus, sed animus fragilis, omnes ergo fortes, siue mulieres, siue viros haec mensa accipit, ineptos vero, ac debiles repellit.

Luc. 14. n. 17. Et misit seruum suum hora coenae dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia.

VERSIONES.

- Arabicus. Misit seruos, vt dicerent vocatis.
Euthymius. Misit illum seruum.
Syriacus. Misit seruum suum tempore coenae, vt diceret iis, qui conuocati erant, Ecce omnia parata sunt vobis, venite.

EXPOSITIO II.

39.



Cyrrill. Euthym. Theophyl.

MISIT seruum suum, semetipsum dicit seruum Patris, eo quod formam serui accepit, de qua multum gloriatur. Ita D. Cyrrillus. Euthym. Theophylact. seu ponitur singulare pro plurali, seruos scilicet suos, Apostolos nempe, ac reliquos Euangelij praedicatores, seu pra-

dicatorum caetum, seu ordinem, vt loquitur D. Gregor. homil. 36. in Euangel. Carthusianus Hugo, & alij, & tunc misit praeteriti temporis praedicat rem breui futuram. Hora coena. Theophylact. Desinito, & opportuno tempore. Ex qua opportunitate maxime commendatur doni excellentia. Quid vero significatur per hanc coenae horam? Glossa Ordinaria, & Interlin. Beda, Haymon, finem saeculi interpretatur. Caietan. horam mortis, seu tempus migrandi ex hac vita; aptius tamen, hora coenae denotat tempus aduertus Christi, ac legis gratiae, ex quo tempore omnia sunt parata ad ingrediendum conuiuium caeleste, ad quod homines inuitantur; nam morte Christi reseratae sunt portae caeli, quae antea erant clausae. Dicere inuitatis, vt venirent. Optimè sciebat hic homo, quod inuitati non erant venturi inurbane, ac syluestre se excusantes; tamen mandat vocare eos, cum ab ipso essent inuitati: eligit enim potius se exponere eorum inurbanitati, quia absque debita reuerentia erga eum erant se ipsos excusaturi, quam veritati, ac fidelitati verbi sui, quo vocati fuerunt, in aliquo desse, disposuit, vt verbi sui veritas adimpleretur, licet debita reuerentia ei ommitteretur, cum inuitati agreste dicerent. Non possum venire.

Gregor.

Theophyl.

Glossa Ord. Interlin. Beda. Haymon.

Veritati potius cosulendum, quam persona asseruitati.

QUESTIO VII.

Quare hic Paterfamilias tantam hominum multitudinem per vnum seruum vocat, cum Rex ad prandium suum miserit multos seruos?

ROMO, cum iam omnia essent parata, misit hora coenae vocare inuitatos: hora coenae, tempore opportuno, vt ex Theophylacto dixi in expositione, quia excellentia beneficii non solum ex eius magnitudine, sed etiam ex opportunitate, ac conuenientia temporis pensatur, & misit hora coenae, & non antea, quia cum essent iam inuitati, solum monendi erant, vt venirent: tum ne diutius spectatione fatigaretur; tum etiam ne videntes horam coenae non adesse, aduenire differrent, & moras neccerent. Cum autem Deus vocat, nil cunctandum est.

40.

Magnitudo beneficii ex opportunitate

Quaestio praefens inquirat cur hic homo, Aeternus scilicet Pater inuitans ad suas epulas omnes homines, vnum tantum seruum destinat. Misit seruum suum. Cum illa parabola de rege inuitante ad conuiuium multos seruos ordinauerit. Misit rex seruos suos. Et iterum, misit alios seruos. Matth. 22. num. 3. & 4. Cur ergo modo vnus seruus, modo plures assignantur.

41.

Difficultas quaestiois. Matth. 22.

Respondeo primò. Quod ponitur singulare pro plurali. Arabicus legit. Misit seruos suos, scilicet Apostolos, & alij Euangelij praedicatores, & hic modus loquendi valde frequens est in Scriptura; sic mandat Deus dicere Pharaoni Exod. 4. n. 2. Dimitte filium meum. Totum scilicet populum Israel. Et in Ezechiel. 23. num. 4. Sub nomine Oola, Samaritiam: id est Israellem intelligit; & sub nomine Oliba. Hierusalem, hoc est populum Iuda.

42.

Exod. 4.

Ezech. 43.

Secundò. Omnes ministri Euangelici sunt plures, & vnus. Plures, quia per diuersas mundi partes sunt diffusi; vnus vero, quia ita doctrina, charitate, vniione, ac concordia sunt inter se coadunati;

Isai. 52. Rom. 10. Vnitus in praedicatoribus Euangelicis.

44.

Apoc. 19.

Apoc. 7.

Multi ministri panem auferunt, rarus qui offerat. Victor. Carthuf. Gagnaus.

45.

3. Reg. 13.

Pro causa iusta vnus minister sufficit.

46.

Luc. 1.

Genef. 32.

4. Reg. 6.

Multi ministri, magna tamen paucis committenda.

dunati, vt non plures, sed vnus videantur. De sacris praedicatoribus ait Isaias 52. num. 7. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & praedicantis pacem. De iisdem loquens Paul. Roman. 10. num. 15. inquit: Pedes euangelizantium pacem. Ecce Propheta singulariter dicit: Praedicatoriu. Apostolus vero pluraliter: Euangelizantium. Nunquid Apostolus, & Propheta discrepant inter se? Minime. Quamuis enim Euangelici praecones re multi existant, tamen sic vna doctrina, vnaque veritate, fidei vnitatem, ac charitatem coherent, ac concordem inueniuntur, vt non plures, sed vnus tantum censentur.

Tertiò. Vnus tantum seruus vocat inuitatos ad mensam. Multi saepe mittuntur serui, qui panem ex pauperum ore auferant, & qui panem exhibeat, vnus, & rarus est seruus. Ait Ioan. Apoc. 19. n. 17. Vidi vnum Angelum stantem in Sole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auiibus, quae volabant per medium caeli: venite ad coenam magnam, agni, vt manducetis carnes regum, & fortium. Compono hunc Angelum ad coenam vocantem cum illis, quorum meminit idem Euangelista cap. 7. num. 1. Vidi, ait, quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terra, tenentes quatuor ventos terra, ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem. Hi quatuor Angeli, vt voluit Victorinus antiquissimus auctor, Carthusianus, Gagnaus, & alij denotant ministros Antichristi stantes in quatuor extremitatibus Orbis, Oriente, Occidente, Meridie, Septentrione tenentes quatuor ventos, id est impediens rorem caeli, vt explicat citatus Gagnaus, quo terra, & mare fecundantur, vt producant alimenta panem, & pisces. Valde mirum, vnus Angelus conuocat ad mensam; quatuor vero impediunt rorem caeli, benignitatem scilicet principis, ne panis, oleum, ac fructus habeantur. Multi enim ministri extant, qui panem intercludant, & auferant; qui autem panem offerat, & exhibeat, vnus & rarus est minister, tanta virtute fulgens, veluti residens in Sole.

Quartò. Vnus sufficiens est minister, qui causam iustam, probam, ac sanctam agit, ad Christi mensam vocat. Ait Elias vniuerso populo: Ego remansi Propheta Domini solus: Propheta autem Baal quadringenti, & quinquaginta viri sunt, 3. Reg. 18. num. 22. Cur pro causa Dei vnus solus stat Elias; pro cultu vero Baal, tot viri, & vt ait Abul. qui principes & illustres erant. Vnus solus relictus est Elias, ait Lyran. qui pro Dei veneratione, audeat apparere, & idolatris resistere. Pro sancta, ac iusta Dei religione, vnus sufficiens, & abundans est Elias; pro iniquo vero negotio Baal quadringenti, & quinquaginta viri prophetae, & principes pauci sunt, & minime sufficiunt.

Quintò. Misit vnum seruum, cum tamen in nuptiis filij sui multos seruos mittit. In nuptiis vocabantur inuitati ad caelestem beatitudinem; hic vero ad Eucharisticam mensam. Ad Incarnationis mysterium vnus tantum nuntius destinatur. Misit est Angelus Gabriel a Deo, Luc. 1. n. 26. Ad Iacob vero tanta Angelorum multitudo descendit, vt ipse dicat: Castra Dei sunt haec, Genef. 32. num. 2. sic & in tutelam parentis Elisaei, Ecce mons plenus equorum, & currum igneorum in circuitu Elisaei, 4. Regum 6. n. 17. & tamen ad supremum arcanum vnus tantum euolat Angelus ad Virginem? Vt singularitate ministri innotescat excellentia mysterij, nec enim omnia negotia om-

Syluestra in Euang. Tom. IV.

nibus ministris sunt committenda, sed pro grauitate rei persona designanda; ad nuptias multi ministri, ad sacramentalem vero mensam vnus tantum a Christo eligitur. Hodie vero ad epulas corporis Christi multi conueniunt ministri, faciat Deus, vt puro corde, ac mente accedant. Vide supra cap. 8. q. 3. n. 28.

Sextò. Vnus tantum minister ad totum orbem conuocandum destinatur; licet enim esset vnus, iustitia tamen, reatitudine, ac probitate, omnes erat conuocaturus, ac adducturus, & vbi est probitas, ac reatitudo, omnia subiiciuntur, ac deuincuntur. Ait Regius Vates: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. D. Hieronymus, fortissime. Hoc est, accinge gladium tuum magno cum robore. Et statim subdit: Specie tua, & pulchritudine tua, intende prospere procede, & regna, Psalm. 44. num. 4. Intende, hoc est egredere ad bellum, vt explicant D. Chrysof. Eulebius, D. Athanasius, D. Cyrrillus, Beda, Ruffinus, Remigius, & alij. Lorinus ex Hebraeo legit, age, equita decore tuo. Hoc est, tua elegantia, ac pulchritudine pugna, age, deuince, & regna, ita explicant illud verbum, regna, communiter commentatores. Haec tamen posteriora verba non videntur coherentem cum antecedentibus; nam prius dictum est: Accingere gladio tuo super femur tuum. Consequens inde erat dicere, hoc autem gladio tuo fortissimo intende ad bellum, equita, & pugna, deuince, ac regna. Tamen haec non dicuntur a Psalmita, sed subiicitur: Specie tua, ac pulchritudine tua intende, id est ad bellum prospere procede, & regna. Quoniam est haec species, ac pulchritudo, qua exiet in bellum? Species nempe probitatis animae tuae: fauet D. Laurentius Nouariensis homil. de elemosyna: Accingere, inquit, gladio tuo super femur potentissime: qualem gladium? Specie tua, & pulchritudine tua; plora compunctus, vt possis recipere speciem cordis tui, ipsa enim specie, ac pulchritudine compunctionis, ac bonitatis, qua anima adornatur, efficacius pugnat, deuincitur, ac regnatur, quam omni alio gladio fortissimo. Adsit gladius in Republica; tamen, vt intendas in bellum, pugnes, ac deuinceas, praecipue non decertandum ipso gladio, sed specie, ac pulchritudine iustitiae, virtutis, ac probitatis animae.

47.

Hieron.

Psalm. 44.

Chrysof. Eulebius. Athanasius. Cyrrillus. Beda. Ruffin.

Potius iustitia qua ferro pugnandum.

Laut. Nouar.

48.

Iosue 9.

Iosue 8.

Athan.

Leges Dei armentur milites, vt vincant.